



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio LXXXVIII. Argumentum. Dissertitur ad quem spectet thesaurus inventus vel in fundo proprio, vel in fundo alieno? Dantur plures distinctiones circa diversos modos inveniendi thesauros, Docetur, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

Proprietates Amicitiae sunt tres, Benevolentia, Beneficentia, & Concordia. *Aristot. 9. Ethic. 4. & ibi P. Maurus num. 1. Eman. Thef. in Morali Phil. lib. 20. cap. 5.*

Officia Amicitiae sunt tredecim. 1. Mutua benevolentia interna. 2. Observantia aequalitatis, ideo cavendum ab Amicitia Magnatum, quia difficile tractant amicos cum aequalitate. 3. Sufferentia damni temporalis ob amicos; juxta illud *Ecc. 29. 13. Perde pecuniam propter amicos.* Haec dicuntur de Praecepto; Sequentia de consilio. 4. Vitam etiam profundere; prout fecit Redemptor noster, qui aiebat, *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Joan. 15. 13.* Ideo multi amici fideles, ut sanctas Virgines à lupanari liberarent, ad eas ingressi, mutatis vestibus abire fecerunt illas, & ipsi in manu tyrannorum morte puniendi remanserunt. 5. Communicatio bonorum cum amico. 6. Ac etiam secretorum. 7. Correctio amici errantis. 8. Consolatio ejusdem patientis. 9. Sigillum revalorum ab amico. 10. Abstinencia ab omni peccato. 11. Stabilitas, & constantia. 12. Velle omnia bona amico suo naturalia, & supernaturalia. 13. Et tolerantia defectuum ipsius amici.

5 Sex autem causis dissolvitur Amicitia. 1. Ob conviciam amici in amicum. 2. Ob improprium. 3. Ob Superbiam. 4. Ob secreti revelationem. 5. Ob plagam dolosam, id est detractionem. 6. Ob scandalum; quando scilicet amicitia esset causa peccati. Haec omnia summam collegi ex amplissimis responsis receptis à Clero nostro, in quo plurimi humaniorum literarum studiosissimi, qui ea desumpserunt ex S. Thoma 2. 2. quaest. 114. & seqq. Ex *Aristot. Ethic. lib. 8. & 9. & ibid. Sylvest. Mauro. Ex Eman. Thef. in Philos. Mor. cap. 20. per totum. Ex P. Paul. Segneri in panegyricis part. 2. Paneg. 19. de S. Ang. Custode. Et ex Eminentiss. Cardin. de Laurea dict. rom. 2. de Virtut. in gen. disput. 25. art. 7.*

6 Amicitiam esse virtutem incomparabilem, testatur Scriptura Sacra *Eccles. 15.* in illis verbis: *Amico fideli nulla est comparatio, & non est digna ponderatio auri, & argenti contra bonitatem fidei illius.* Ratio est, quia quae rara sunt, in magno pretio sunt: at amici fideles sunt rarissimi, id est qui diligunt amicum, ob solum bonum ejus, non ob eorum utilitatem. De Jonatha scriptum est. *1. Reg. 18. 1. Anima Jonatha conglutinata est anima David, & dilexit eum Jonathas, quasi animam suam.* Et jure optimo, nam Jonathas gaudebat, regnum paternum dari ipsi David. De Pylade, & Oreste, quorum unus pro alio mori volebat, cecinit Ovidius.

*Ire jubet Pylades charum periturus Orestem,
Hic negat, inque vicem pugnat uterque mori.
Exitit hoc unum, quod non convenerit illis,
Cetera pars concurs, & sine lite fuit.*

De effectibus verae Amicitiae legendi Valerius Maximus *lib. 4. cap. 7.* Plutarchus de *Multor. Amicitia*; & Cicero de *Amicitia*; qui omnes scribunt, quod amicus, ut in proverbio vulgari, sit alter ego. Horat. vocavit Virgilium amicum suum medietatem animae suae, dum augurabatur ei felicem navigationem Athenas versus, *lib. 1. Ode 3.* ita canens:

*Navis, quae tibi creditum
Debes Virgilium, finibus Articus
Requas incolumem, precor,
Et serves animae dimidium mea.*

Notabilis est S. Augustini testificatio de vi Amicitiae verae, dum ipse *lib. 4. Confess. cap. 6.* narrans dolorem, quem passus est ob mortem cujusdam amici sui, ait: *Bene quidem dixit (Horat.) de amico suo, Dimidium anima mea: Nam ego sensi, animam meam, & animam illius amici mei unam fuisse animam in duobus corporibus, & ideo mihi horrore erat vira, quia volebam dimidius vivere, & ideo forte mori metuebam, ne totus ille moreretur, quem multum amaveram.* De hac virtute legatur Polyantha in *Verb. Amicitia.* Et P. Menochius in *Stoicis Centur. II. cap. 31.*

DECISIO LXXXVIII.

ARGUMENTUM.

Differitur, Ad quem spectet thesaurus inventus vel in fundo proprio, vel in fundo alieno? Dantur plures distinctiones circa diversos modos inveniendi thesauros. Docetur, quid dicendum de bonis repertis in littore maris.

SUMMARIUM.

1. *Thesaurus quid sit?*
2. *Pecunia reperta in pariete domus an spectet ad emptorem domus?*
3. *Indi in Sepulchris parentum ponunt pecunias.*
4. *Tiberius Imperator quomodo invenerit thesaurum?*
5. *Narsetes inventor pecuniae in cisterna recondita.*
6. *Thesaurus in foro fori spectat ad Principem, Et an in foro poli?*
7. *Domino fundi debetur Thesaurus in eo repertus.*
8. *Demonis ops non imploranda pro Thesauro inveniendo.*
9. *Thesaurus inventus in fundo alieno spectat ad dominum fundi, si data opera: Si fortuito, pro medietate.*
10. *Emptor fundi an fiat dominus Thesauro in eo reperti?*
11. *Pharmacopola vili pretio emit herbas magna virtutis.*
12. *Gemma an emi possit à rustico, eam ignorante, pretio vili?*
13. *Thesaurus inventus in fundo Emphyteutico, dotali, &c. cuius sit?*
14. *Maris in littore bona reperta cui danda?*
15. *Pecunia inventa in via cui danda?*
16. *Piscator repertiens annulos aureos in littore maris quid agat?*

Inter res deperditas connumeratur etiam The-saurus: ideo Quaeritur: *Thesaurus inventus cui restituendus? Praemittendum primum: Thesaurum esse veteris pecuniae, seu aliorum pretiosorum mobilium depositionem, cujus non extat memoria, ut jam dominum non habeat. l. Nunquam. §. 1. ff. de Acquiren. rer. dom. l. Unic. C. de Thef. lib. 10.* Adeo ut duo copulative requirantur ad constituendum thesaurum, videlicet, & quod non extet memoria temporis, in quo thesaurus fuit reconditus, & quod ignoretur, quis sit illius Dominus? Eminentiss. Cardin. de Lugo de *Justit. & Jur. rom. 1. disput. 6. num. 111.* Diana *part. 9. tract. 5. Res. 1.* Quae in *Coordin. fita est rom. 6. tract. 6. Res. 1.* Antonell. de *loco legali lib. 2. cap. 30. num. 1. & 2.* Farinacius in *pract. crimin. quaest. 104. num. 19. & seqq. M. Anton. Peregrin. 7. G. Patav. de Jur. fisci l. 4. tit. 2. n. 1.*

Me

Menoch. rom. 7. *confil.* 649. ubi tuebatur, pecunias aureas suo tempore repertas in pariete domus venditæ, spectare ad emptorem domus, ea ratione, quia cum in dictis pecuniis essent Ducati Veneti aurei cusi cum nomine Augustini Barbaduci Ducis Venetiarum, ad Ducalem dignitatem assumpti de anno 1485. & sic centum circiter annos antè, erat pecunia vetus, de cujus repositione nullus habebat memoriam & nullus certus dominus extabat. Econtra thesaurus non esset, si apud pecuniam reperiretur Syngrapha, seu Instrumentum, quod testaretur, cujus sit, & qui sint hæredes conditoris? Diana *Coordin. dict. tom. 6. tract. 6. Resolut. 2. num. 4. & 5.* ubi notat, Hispanos, qui sepulchra apud Indos plena divitiis spoliaverunt, esse obligatos eas restituere, eo quia noscuntur repositores, & eorum hæredes, quamvis Sayr, in *Clavi Regia lib. 9. cap. 9. num. 12.* & Banez. 2. 2. *quæst. 66. art. 5.* illos excusent, cum divitiæ repositæ in sepulchris sive ad pompam, ut de sepulchro David testatur Joseph Antiquit. Judaicar. lib. 7. cap. 16. & ex Dion. Cass. in *Vita Hadriani Imp. P. Augustini. Manni in Select. Histor. cap. 328.* sive superstitionis causa, credendo, mortuos eis uti ad suos usus, habeantur pro derelictis. Hinc thesaurus verè fuit ille, quem Tiberius secundus Imperator, liberalissimus in pauperes, reperit, dum petram Crucis signum tenentem, ne calcaretur pedibus, pietatis studio auferri iussit, ex S. Gregor. Turon. *Hist. Franc. lib. 5. cap. 19.* At pecuniam Narsetis in cisterna reconditam, ac eidem Imperatori delatam, ex Paul. Diacono de *Gest. Longobard. lib. 3. cap. 5. & 6.* & P. Menoch. *Stuore, centur. 4. cap. 23.* ipse non tanquam thesaurum, sed tanquam bona vacantia cepit, l. 1. & penult. C. de bonis Vac. lib. 10.

Præmittendum secundò, hic responderi ad propositum Quæsitum pro foro conscientiarum tantum; attento quod in foro exteriori inventus thesaurus sit Principi consignandus de consuetudine serè totius orbis, & ex legibus particularibus cujusque Regni. Peregrinus de *Jurefisci dict. lib. 4. tit. 2. num. 10.* Covaruv. in *reg. Peccatum, part. 3. §. 2. num. 4.* de *reg. Jur. in 6.* Farinac. *dict. quæst. 104. num. 32.* Antonell. de *Loco legali dict. lib. 2. cap. 30. num. 21.* Quamvis digladiantur ad invicem Theologi, an præfatæ leges obligent in conscientia? Videntur enim affirmare Paludan. in 4. *diff. 15. art. 5. concl. 1.* D. Antonin. *part. 2. tit. 1. cap. 15. §. 2.* Lessius *lib. 2. cap. 5. dub. 17. num. 66.* Diana *Coordin. tom. 6. tract. 6. resol. Quæ in Veteri est p. 9. tr. 5. resol. 18.* & Eminentiss. Card. de Lugo *d. tom. 1. de Just. & Jur. disp. 6. n. 131.* Sed negare non dubitant Sylvester. *Verb. Inventum, n. 13.* Sotus de *Just. & Jur. l. 5. q. 3. art. 3. col. 9.* Mendin. Bardi, Caramuel, & Trulench. citati à Tamburin. in *Decal. lib. 8. tract. 4. cap. 1. §. 3. num. 35.* & novissimè Eminentiss. Cardin. de Laurza *dict. tom. 2. disp. 23. à num. 197. & seqq.*

His præmissis ad resolutionem Quæsitæ tres sequentes conclusiones dantur.

7 Conclusio Prima. Thesaurus inventus in fundo proprio sive casu, sive de industria totus acquiritur domino fundi, l. un. C. de *Theaur. lib. 10. §. Theaurus. Instit. de rer. divis. Farinac. dict. quæst. 104. num. 3.* Antonell. de *Loco leg. d. lib. 2. cap. 30. num. 4.* ubi idem de statuis, & lapideis marmoreis absconditis in agro ait esse decimum in *Rota, decis. 359. post retr. lib. Conflitor. Farinac. & sentit Gratian. Discept. forens. cap. 453. num. 5. & seqq.* Nisi Doct. Clericali *Tom. II. Lib. IX.*

fortè inveniendò thesauros, magica ars adhibita fuerit, quia tunc thesaurus inventus in proprio fundo acquiritur fisco, *dict. lib. 1.* ubi Gloss. in *Verb. arte. C. de Theaur. lib. 10.* Eminentiss. Card. de Lugo *dict. disput. 6. num. 112.* Antonell. *d. cap. 30. num. 1. & 11.* ubi notant, ex Navar. in *Man. cap. 17. num. 172. & 175.* non esse fisco tradendum ante sententiam, quia lex pœnalis est. Glossa in *cap. Fraternitas. 12. quæst. 2.* sed contrarium tenent Valasc. de *Jure Emphyt. quæst. 15. num. 4.* & Farinac. *d. quæst. 104. num. 18.* nefas enim est cuique fidelium ad Dæmonem recurrere, à quo etsi thesauri, & pecuniæ absconditæ revelari possint, Deo permittente, attamen rarò cum veritate, sæpè cum falsitate Diabolus revelat; ut eruditè docent Bodin. in *Dæmonom. lib. 3. cap. 3.* Delrius *lib. 2. disquis. Magic. quæst. 12.* P. Gasp. Schottus in *sua Physica Curiosa part. 1. lib. 1. cap. 33.* & P. Franc. Mar. Guacciis in *Compend. Maleficar. cap. 10.* apud quos autores plurima, eaque non injucunda leguntur exempla illorum, quos Diabolus pater mendacii ludificavit, tradendo stercore, loco pecuniarum, & vitam auferendo fossoribus earundem, & quod pejus est, etiam animam. Ajunt enim DD. Dæmonem sibi obsequentibus esse infidelem in manifestandis thesauris, vel quia non exstant, sive si sint alicubi, eos reservat Antichristo futuro, quem ditando majorem expectat animarum ruinam. Schottus *dict. cap. 33. in fin.* & de deceptione Neronis Imperatoris inhiantis ex reconditoris, & venis terræ thesauros eripere, legatur Suetonius in *ejus vita cap. 31. & 49.* atque Cornel. Tacit. *annual. lib. 16. in princ.* Porro si in fundo alieno artibus Magicis inveniatur thesaurus, medietatem fisco, & medietatem domino fundi deberi contendit Diana *part. 2. tract. 5. resol. 12.* Quæ sedem obtinet in *Coordin. tom. 6. tract. 6. resol. 13.*

Conclusio Secunda. Thesaurus in alieno loco, sive privato, sive publico, sive Cæsaris, Fisci, Civitatis, aut Ecclesiæ inventus, si data opera, totus debetur domino fundi, si fortuitò, medietas est domini fundi, alia medietas inventoris. Peregrinus de *Jure fisco. dict. lib. 4. tit. 2. num. 8.* Antonell. *dict. lib. 2. cap. 30. num. 6. 7. & 15.* Diana *Coordin. dict. tom. 6. tract. 6. ref. 12.* Quæ in veteri jacet *parr. 9. tract. 5. resol. 11.* Eminentiss. Cardin. de Lugo *d. disput. 6. num. 116. & 117.* & Eminentiss. Cardin. de Laurza *d. tom. 2. disput. 23. num. 215. & 216.* ubi in specie loquuntur de loco Sacro. Quod si dominus fundi illum nuper emisisset, quia sciverat, in eo extare thesaurum; in hoc altercantur Juristæ, & Theologi, an emptor possit tuta conscientia retinere sibi totum thesaurum? Alii enim affirmant, eò quia venditor fundi, qui nihil sciebat de thesauro abscondito, in nihilo fuit defraudatus; nam justum pretium fundi accepit, thesauri autem non erat dominus, cujus dominium acquiritur inventione. S. Th. 2. 2. *quæst. 66. art. 5. ad 2.* Navar. in *Man. d. cap. 17. num. 175. Vers. Sequitur terrib.* Justitia autem pretii sumitur ex communi æstimatione hominum, non ex majori utilitate rei; hinc pharmacopola potest communi pretio emere fascem herbarum in pabulum jumentorum paratum, in quo cognoscit, esse herbas utilissimas; utilitas enim herbarum latens non plus valet, nec pluris vendi, vel æstimari solet. Et idem est de thesauro abscondito in agro; & propterea laudatur homo in Evangelio, qui vendidit omnia, quæ habuit, & emit agrum, in quo cognovit, thesaurum esse

esse absconditum. *Matth. 13. 44.* & hanc opinionem teneant Rebellius *de obl. iust. lib. 1. part. 1. quæst. 15. num. 15.* Layman. *lib. 3. tract. 1. cap. 5. num. 23.* Caramuel. *in Theol. mor. lib. 2. num. 307.* & Eminentiss. Cardin. de Lugo *dict. tom. 1. de Just. & Jur. disput. 6. num. 126.* Alii nihilominus negant ea ratione, quia sicut vendens tenetur manifestare vitium occultum rei venditæ, ita emptor debet manifestare ea, quæ rem faciunt magis pretiosam: idè peccat contra iustitiam, qui a rustico ignaro emit modico pretio gemmam magni valoris, cujus rusticus æstimationem ignorat. Fundus autem, in quo jacet thesaurus, pluris valet; nam si à venditore sciretur, in eo latere thesaurum, pluris æstimaret; & illud jus ad habendam saltem medietatem thesauri ratione domini, est pretio æstimabile. Neque obstat Parabolæ Evangelii *Matth. 13. 44.* quia in Parabolis non semper laudantur actiones tanquam honestæ, ut patet ex villico iniquitatis, quem laudavit dominus ejus ob actiones ex se illicitas, sed solum affertur in exemplum prudentia humana, quæ in iis actionibus resplendet. Sic Christus actionem hanc emendi agrum, in quo emptor sciverat esse thesaurum, neque approbat, neque reprobat, sed tantum illius prudentiam commendat, ut notat P. Steph. Menochius *in Vita Christi part. 1. lib. 4. cap. 24. num. 4.* Quocirca hanc opinionem negativam tam de thesauro abscondito, quam de venis metallorum in agro subjacentibus teneantur ex Juristis Valasc. *de Jure Emphyt. dict. quæst. 15. num. 6.* Farinacius *dict. quæst. 104. num. 20. Vers. Addo ad præmissa: & ex Casuistis, ac Theologis Angel. Armilla, & Tabiena apud Hurtad. de Justit. & Jur. disput. 1. diff. 35. Turrian. in 2. 2. tom. 2. disput. 58. dub. 4. num. 6.* quos refert Diana Coordin. *dict. tom. 6. tract. 6. resol. 16. §. 1.* quæ in veteri est in part. 9. tract. 5. *Resol. 15.* ubi sentire videtur, primam opinionem procedere posse ex rigore juris, secundam verò procedere debere ex æquitate; & huic non dedignantur adhærere Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. tom. 3. disput. 23. num. 214.* & eadem lance respondent ad alios casus venditionis rerum, in tibus quas latent res pretiosæ, ut in faccis lanæ, vel tritici continentibus aurum in direptione civitatis à milite ereptis, & communi pretio alteri venditis, & in equo, quem aliquis vidit bibisse margaritam,

Conclusio Tertia. Thesaurus inventus in fundo Emphyteutico, Usufructuario, Feudali, seu Dotali, non sunt concordēs Doctores in decidendo, cujus esse debeat? ut videre est apud Dianam Coordin. *dict. tom. 6. tract. 6. resol. 5. resol. 6. resol. 7.* & apud Cardin. de Lugo *dict. disput. 6. à num. 118. & seqq.* Communior tamen est opinio, quòd pro medietate sit inventoris, & alia medietas debeatur Emphyteutæ, Usufructuario, Feudatario, & marito, quando fundum Dotalem æstimatum habuit; nam ea æstimatio facit emptionem, & facit maritum verum dominum. *4. Quoties C. de Jure dotium; aliàs spectabit ad Uxorrem. l. 7. §. Si fundum. ff. Solutio Matrim. ut plenius apud Dian. Coordinatum dict. tom. 6. tract. 6. resol. 7. apud Gratian. disceptat. forens. cap. 453. Gemuens. in Practic. Eccles. quæst. 393. Farinac. d. quæst. 104. num. 13. Valæcum d. quæst. 15. & Antonellum de Loco legali d. lib. 2. cap. 30. à num. 16. & seqq.*

Sit secundum Quæsitum. Bona in littore maris

reperita cui danda? Responsum fuit. Vel illa bona sunt in mari generata, ut lapilli, gemmæ, corallia, & hæc, quia nullius sunt, sunt occupantis. *§. Item lapilli. Inst. lib. 2. tit. 1.* Vel sunt bona, quæ longo tempore amissa ex naufragio jacuerunt in fundo maris, & habentur pro derelictis, & hæc inveniens potest vel dare pauperibus, vel retinere sibi, animo restituendi prioribus dominis, si unquam cognoscerentur. Tamburin. *in Decal. lib. 8. tract. 4. cap. 1. §. 3. num. 29.* & dictum est supra *Decis. LXXXVI. num. 3.* Vel illa bona sunt ex naufragio recenti, vel causa levandæ navis in mare projecta à nautis, qui tempestate suborta, & jactantibus austris solent dicere, pondera qui habent, in mare projiciant; unde Presbyter ait, Breviarium est pondus meum; & uterque illa pondera in mare projiciant; si reperiuntur in littore hæc, & similia, sunt dominis restituenda sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, tum per *cap. Excommunicationi. de Raptorib. tum est Bulla in Cena Domini. §. 4.* Quando scilicet eorum domini possunt reperiri, ut plenè declarant Cardin. Toletus *in summ. lib. 1. cap. 21. Bonacina tom. 3. de Censur. in Bulla Cena contentis disput. 1. quæst. 5. & Summa Diana Verb. Bulla Cena. num. 3.*

Ex hucusque dictis facilis fit resolutio duorum sequentium casuum.

PRIMUS CASUS.

Franciscus manè diluculo exiens domo reperit in via maris supium nummum plenum. Inquirat, an quis perdidit? *19* rit? Nemo compareret. Quæritur, an nummos sibi retinere possit?

Alii dixerunt, non posse sibi retinere, sed pauperibus esse dandos, juxta doctrinam Cardin. de Lugo *disput. 6. sect. 12. & disput. 20. num. 191. in prim. tom. de Just. & Jur.* Alii affirmarunt, posse sibi retinere, animo restituendi vero domino, si aliquando comparuerit, ex autoritate Molinæ *tom. 3. disput. 746.* Thomæ Tamburin. *in lib. 8. Decal. tract. 4. cap. 1. §. 3. num. 23.* ac Pauli Comitoli *in Resp. moral. lib. 3. quæst. 6. num. 5. Vers. Secundum caput.* Et de utraque opinione dictum fuit supra *Decis. LXXXVI. num. 3.* ad quam lector revertatur.

SECUNDUS CASUS.

Pisciceps Patavium venit cum aureis annulis, quos in littore Adriatico jactat reperisse. Cistifer eos clam auferret. Quæritur, An hi excommunicatione Bullæ Cena Domini, lata contra surripientes naufragantium bona, afficiantur?

Istum piscium venditorem, qui aureos annulos in littore Adriatico reperit, nullam incurrisse excommunicationem resolvit Clerus noster, si in animo habuit eosdem annulos restituere propriis dominis quocumque comparentibus, & probantibus eos ex naufragio perdidisse: & multò minus, si annuli illi ejeçti sint à mari, in cujus profundo diù steterint, adeò ut nullum amplius habeant dominum, & sint bona derelicta; juxta doctrinam Cardin. Toleti, Bonacina, *supra citat. atq. num. 14.* Tamburin. *in lib. 8. Decal. tract. 4. cap. 1. §. 3. num. 29. Vers. Præterea.* At bajulus cistam deferens, qui furatur dictos aureos annulos, incurrit excommunicationem secundum Suarez *de Censur. disput. 21. sect. 2. num. 23.* eo quia surripere immediatè in littore, vel mediante priori spo-

liatore non variat malitiam; & est casus legis, quz vult prospicere indemnitati naufragantium. Non incurrit excommunicationem secundum opinionem Sayri de *Cens. lib. 3. cap. 8. num. 4.* Et Dianz Coordin. tom. 5. tract. 1. resol. 44. quz desumpta est ex veteri part. 9. tract. 8. & Misc. 3. resol. 36. ob eam rationem, quia in Bulla tantum de primo surripiente fit sermo, non verò de secundo, vel tertio: ergo quantumcunque secundus, vel tertius latro sciant, bona illa injuste esse ex naufragio accepta, non excommunicantur: non enim Censura ultra proprium casum extenditur, cum sit pœnalis.

DECISIO LXXXIX.

ARGUMENTUM.

Declaratur, Quid sit Liberalitas? Quotuplex? Quodnam ejus objectum, & subjectum? Quz conditiones in ea servandz? Quz vitia sint Liberalitati opposita?

SUMMARIUM.

1. Liberalitas quid sit?
2. Quotuplex?
3. Magnificencia quid sit?
4. Objectum liberalitatis, ac magnificencia quale sit?
5. Subjectum earundem Virtutum quale?
6. Innocentii Papa XI. Magnificencia.
7. Venetum Dominum Serenissimum laudatum.
8. Gregorius Cardinalis Barbadicus laudatus.
9. Conditiones Liberalitatis, ac Magnificencia.
10. Vicia iisdem virtutibus opposita.

Dictum fuit, Liberalitatem [quz nobilis ac Regia est Virtus cap. de Donat. ubi Gloss. cap. si mora de Prob. in 6. cap. Non satis cap. Consideranda, dist. 86. cap. Constantinus. 1. & 2. dist. 96.] esse actum, seu habitum erogandi bona propria sponte, & libenter in operibus honestis. Ex Arist. 3. Ethic. cap. ult. & 4. Ethic. cap. 1. Appellatione autem bonorum non solum intelliguntur pecuniæ, vel alia mobilia, sed etiam operationes, & labores in publicum bonum impensi, ex quibus Liberalitas resultat, frequenter multò splendidior, multò que clarior.

Est autem duplex Liberalitas. Una ordinaria, qua regularibus erogationibus pecuniarum levantur egentes: & alia extraordinaria, quz excessivis, & extraordinariis sumptibus magna struit opera in publicum bonum, decorem, atque honorem, & vocatur Magnificencia: quz definitur, Rerum magnarum, & excelzarum, cum animi ampla quadam, & splendida propositione cogitatio, atque administratio. Ex Cic. de Juvent. & ex S. August. lib. 83. quast. 31.

Objectum materiale Liberalitatis, & Magnificencia est pecunia, cujus nomine intelligitur omne bonum temporale. Formale verò objectum est honestas specificans erogationem pecuniæ in ratione honesti.

Subjectum liberalitatis potest esse omnis homo tam dives, quam pauper, tam nobilis, quam ignobilis. Arist. 4. Ethic. 2. Idcirco à Christo laudata fuit Vidua, quz miserat duo minuta in Gazophilacium. Marc. 12. 40. At Magnificencia subjectatur in divitibus tantum, qui amplos sumptus valent erogare in operibus publicis diù permanfuris: ideo Liberalitatis, & Magnificencia titulis decorantur Reges, & Imperatores in Scripturis Sacris &

profanis, qui Tempa, Xenodochia, Domos publicas, aliaque opera insignia construxerunt, vel in publicum bonum pecuniæ amplissimas sunt elargiti. Hinc jure optimo INNOCENTIUS XI. Pontifex Maximus, nunc feliciter regnans, eosdem amplissimos meretur titulos Liberalitatis, & Magnificencia, qui tot centena millia aureorum erogavit, & erogat universis Provinciis (sicut scriptum est Ethic. 2. 18. juxta magnificenciam principalem,) ad debellandos Turcas, ut ab eorum tyrannide Fideles populos eripiat. Liberalitas, & Magnificencia decet Serenissimum Dominum, & Principem nostrum Venetiarum, cujus immensis sumptibus & terrestres, & navales exercitus sustinentur in Thraces ad Catholicæ Fidei, & publicæ libertatis tutamen. His titulis quoque condecorandus Eminentissimus, ac Reverendissimus GREGORIUS BARBADICUS PRÆSUL NOSTER; qui ad promovendam, tum Ecclesiasticam disciplinam, tum Humaniorum, & Sacrarum Litterarum studia in Seminariis, ac Collegiis pro communi bono Clericorum, ac Nobilium Laicorum, & fabricas egregias erexit, & numerum supra numerum Præceptorum, Alumnorumque studentium ære proprio nutrit, & alit; ultra perennes erga egenos elemosynas, ac maritandarum Virginum suffragia.

Conditiones autem Liberalitatis, ac Magnificencia sunt sex. 1. Pecuniam erogare personis honestis verè indigentibus Psal. 111. 9. Dispersit, dedit pauperibus. 2. Cum hilaritate 2. Cor. 9. vers. 7. Unusquisque prout destinavit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus. 3. Absque jaçtantia, aut vana gloria, Ps. 11. vers. 4. Disperdet Dominus universa labia dolosa, & linguam magniloquam. 4. In tempore opportuno, 2. Cor. 8. 14. In presenti vita, vestra abundantia illorum inopiam suppleat. 5. Præferendo domesticos, ac fideles extraneis sanguine ac fide. 1. Tim. 5. 8. Si quis suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior. Et 6. non impropere, seu non improbrando datum. Eccles. 4. 1. in fin. Cum dederis, ne impropere.

Vitia opposita sunt duo. Unum ex defectu, & est Avaritia: Alterum, ex excessu; & est Prodigalitas, quz præcipue versatur circa expensas in crapulis, bacchanalibus, comædiis, luxuriis, vindictis, cæterisque indignis; eamque impropere Seneca lib. 2. de Benef. & Salvator Noster in filio adolescentiori, qui profectus in regionem longinquam, ibi dissipavit substantiam suam vivendo luxuriose. Luc. 15. 13. Hæc omnia pro resolutione casus peramplè scripserunt Studiosi nostri, eaque desumpserunt ex S. Thom. 2. 2. quast. 117. 118. ex P. Sylvestr. Mauro Soc. Jesu Commentar. in Aristot. 4. Ethic. 1. ex Marchantio in Tuba Sacerd. tract. 2. lect. 13. Ex Philosoph. mor. Eman. Thefauri lib. 6. cap. 1. & seqq. & Eminentiss. Cardin. de Lauræa dict. tom. 2. de Virtut. in gen. disput. 25. art. 12.

DECISIO XC.

ARGUMENTUM.

Quis dicatur bonæ fidei possessor? Quis autem malæ fidei? declarat præsens Decisio in ordine ad restitutionem.